





SACRA  
MENSIS AVGVSTI  
RECENSET

---

ET  
AD SACRA ANNIVERSARIA  
**A V G V S T O**  
**PATRIAE PATRI**  
FACIENDA  
OBSEQVIOSISSIME INVITAT  
**M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.**

---

FREIBERGAE, Litteris MATTHAEANIS.

XLVII.

Virgil. Georg. I. 338.  
ANNVA SACRA REFER.

Ovid. Fast. V. 147.

*Quo ferar? AVGVSTVS mensis mihi carminis huius  
Ius dabit.*



VGVSTI nomen, auspicio diuinum, elogio singulare, et formula solemne, inter cetera Imperatorum ornamenti tantum eminet, quantum sol inter pulcherrima sidera enitescit. Quamuis enim illud primis reip. Rom. moderatoribus natuum non esset, sed à C. Octavio primo, et quidein ex senatus et populi suffragio, susceptum: bono tamen omniè inter *vocabula principatus*, uti TACITVS adpellat, a) referebatur, et imperii maiestate dignissimum existimabatur. Omnes certe annales in eo consentiunt, quod eorum temporum singularis fuerit felicitas, quum primus ille Augustus dominatum teneret. Hoc enim fere nullus aut bellis illustrior, aut in pace moderatorius fuit, quod imperium Rom. grauiter adhuc percussum in sinum suum veluti recepit, suaque sapientia et sollertia non continuo solum, sed etiam in tantum fastigium euexit, ut nullo tempore res Romanorum magis floruisse videantur. Quem Romani imperii florem poeta illius aetatis, VIRGILIVS, his verbis decantat; b)

*hoc ferrea primum  
definit, ac toto surgit gens aurea mundo.*

Quare non est, quod miremur, hunc Imperatorem maximis, qui vel fingi vel praefari poterant, honoribus, ornatum fusile, et tantum non circumfusum. Quum enim alii imperatores post mortem denum in deorum numerum referrentur, Augustus superstes templa suo nomini dicata et vidit et admisit. Neque tantum in patria, sed etiam extra eam honorum monumentis fuit cohonestatus, quod ara illa Lugduni nomini Augusti consecrata, cuius SVETONIVS mentionem facit, c) aperte testatur. Diuinos hos honores VIRGILIVS indicat, canens; d)

*erit ille mibi semper deus: illius aram  
sapere tener nostris ab ouilibus imbuit agnus.*

Consentit HORATIVS, eodem cum illo loco ab Augusto habitus, quem mortalium numero eximendum censebat, his usus verbis; e)

*praefens diuus habebitur  
AVGVSTVS, adiectis Britannis  
Imperio grauibusque Persis.*

Quam

a) Hist. I. LXXX. 2. b) Elog. IV. 9. c) in Tiber. Claud. C. II. d) Ecl. I. 7. e) L. III. Od. 5.

Quam dignitatem PRVDENTIVS admiratus his verbis complectitur; f)

flamine et aris

AVGVSTVM coluit, vitulo placauit et agno.

Testantur tituli, produnt consulta senatus,

Caesareum, Iouis ad speciem, statuentia templum.

Eodem consilio sextum anni mensem, qui anteas Sextilis audiebat, AVGVSTI nomine adpellare non dubitabant. Mutati autem nominis has caussas MACROBIVS adfert: g) Quum Imperator AVGVSTVS mense Sextili et pri-mum consulatum inierit, et triumphos tres in urbem intulerit, et legiones in Ia-niculo deductae sequutaeque sint eius auspicia ac fidem, et Aegyptus hoc mense in potestate populi Romani redacta sit, et finis hoc mense bellis civilibus impositus sit, placet senatui, ut ille mensis Augustus adpelletur. Quamuis enim alii etiam Imperatores licentiam, mensibus noua nomina imponendi, adfectarent, et Ti-berius Septembrem a se Tiberium, Octobrem autem a matre Liuia Liuiam dici mandaret; itemque Nero Aprilem in Neronem, Maium in Claudium, et Iu-nium in Germanicum transformaret; porro Domitianus Octobri suum ipsius nomen inderet, Commodus autem Septembrem Herculem, Octobrem Aeli-um, Novembrem Exuperatorium, et Decembrem Amazonium vocaret: illa tamen nomina suis cum auctoribus exspiraverunt, solis Iulii et Augusti adpel-lationibus in fastos relatis, et ad posteritatem transmissis. Hos vero duo menses ideo magnos adpellari, multi existimant, quod nomina maximorum Imperatorum prae se ferunt. Quo sensu SERVIVS et ASCONIVS PEDIANVS poetae verba intelligunt, canentis; h)

incipient magni procedere menses.

Non autem solo nomine Augustus mensis omnis generis magnificentiam, decora et ornamenta complectebatur, sed sacrorum etiam magnus numerus diebus illius antiquitus destinotorum quandam illi praefstantiam comparabat et singularem omnino dignitatem. Quoram potissima ut nunc strictim persequamur, et temporis opportunitas et instituti ratio praecipere videntur.

Primus igitur Augusti mensis dies apud Romanos non una de caussa in-ter sacros refrebatur, quippe quo aedes Deae Spei in foro olitorio consecrata, Marti vero, delubrum, vel, ut OVIDIUS describit, i)

Augusto praetextum nomine templum

fuerat exstructum. Accedebat ara, Augusti in honorem hoc die posita, itemque nat-uitas Imperatorum, Claudi, Tiberii et Aelii Pertinacis, quae calendas huius mensis praecipiue nobilitabant. Secundus eiusdem dies ob feliciter subactam a Caesare Hispaniam citeriorem cultui religioso destinatus erat et feriatus; de qua victoria, omnium, quas Caesar reportauit, ultima, et DIO k) et SVETONIVS l) co-piose

f) contr. Symmach. L, I.

i) Faft. V. 567.

g) Saturn' L, I. c. 12.

k) Hist. L. XLIII.

h) Virgil, Ecl. IV. 12.

l) in Iul. Caes. c. XXXVI.

piose exponunt. *Quarto die consecratio Victoriae recolebatur, cuius ara in Curia Iulia ab ipso Augusto dedicata anniuersariam solemnitatem sibi vendicabat; aedem vero eidem sacram PRUDENTIVS ita depingit: m)*

*Marmoreo in templo rutilas Victoria pennis*

*Explicat, et multis surgit famata talentis.*

Sequebatur sacrum Deae Saluti *quinto* Augusti die quotannis in colle Quirinali faciendum. Huic enim magnificum templum exstructum, et a C. Junio Bubulo publice consecratum fuit, eius caussas LIVIVS enarrat. n) Porro dies *sextus* solemnri religione ideo celebatur, quod Persae, grauissimi Romanorum hostes, in campo Marathonio eo die ad internecionem fuerant concisi. *Octavo* ludi votui ab Imperatoribus instituebantur, ab annis imperii sui ita computati, ut numero annorum, quos in republica consumserant, totidem dierum solemnitas responderet. Hanc celebratatem alia augebat, in memoriam victoriae agitata, qua Q. Fabius Maximus hoc ipso die Allobrogos et Arvernos grauissimo praelio superauerat. o) Succedebant die *decimo* sacra ad aram Opis et Cereris in vico Iugario, qui etiam Thurarius audiebat, facienda, quae Deae, GELLIO iudice, p) ideo Augustae dicebantur, quod loca, earum cultui destinata, antea profana, ab Augusto templis fuerunt exornata. Quam in sententiam NASO noster: q)

*Sancta vocant Augusta patres, Augusta vocantur*

*Templa sacerdotum rite dicata manu.*

Pridie Idus in circo Flaminio Herculi sacra peragebantur, cuius templum ex vaticinio Sibyllino Augusti aetate fuerat instauratum, ut verbae OVIDII testantur: r)

*Altera pars circi custode sub Hercule tuta est,*

*Quod Deus Euboico carmine munus habet.*

Ipsis autem *Idibus* natalis Diana, alias Hecate dictae, publice celebrabatur. Et hanc ob caussam eam diem *Hecatiam* STATIVS cognominat, s) AVSONIUS vero his verbis notat: t)

*Sextiles Hecate Latonia vendicat Idus.*

Quum enim haec dea non solum nocti, sed etiam rei venatoriae et parturientibus praefesse putaretur, et templum in monte Aventino aedificatum meruit, et sacra statim diebus suum in honorem praeflenda, de quibus MARTIALIS: u)

*Augustis redit idibus Diana.*

Diem *decimum quartum* sacrificia in Iouis Liberatoris honorem peragenda nobilitabant. *Decimo quinto* autem ludi a Cn. Pompeio destinati, quos CICERO de-

m) contr. Symmach. II. 28.

n) L. X. c. I.

o) Plin. Hist. Nat. L. VII. c.

p) Noct. Att. L. IV. c. VII.

q) Fast. I. 609.

r) Fast. VI. 209.

s) Sylv. L. III.

t) Idyll. XIV.

u) L. XII. Epigr. LXVIII.

describit, nouam solemnitatem comparabant. w) Hos Consualia excipiebant, quae die decimo sexto Augusti mensis, in memoriam virginum e Sabinis raptarum, celebrabantur, ab auctore urbis Romulo indicta: cui ipsum Martem auctorem et suasorem huius solemnitatis fuisse, OVIDIUS testatur, mandatum Martis repetens; x)

*Festa para Conso, Consus tibi cetera dicet,  
Ipso festa die dum sua sacra canet.*

*Decimus septimus* dies sacra Iani referebat, qui, uti primus homines sacra do-  
suisse credebatur, et aditum ad reliquos deos patefacere putabatur, ita hoc etiam  
mense religioso cultu, et quidem iuxta Marcelli theatrum adfiebatur, quod  
ex parte altera Capitolii ad meridiem spectabat. His eodem die sacra Portumnalia  
adiungebantur, a Portumno nomen fortita, cuius Numini religiosum cultum  
praeflabant

*votaque solvabant servati in liture nautae. y)*

Et rem quidem diuinam ad pontem Aelium huic deo faciebant, ubi aedes con-  
spiciebatur, memoriae eiusdem consecrata. Die decimo nono Vinalia ageban-  
tur, non ea, quae Veneri, sed quae Ioui sacra erant, cui non solum vindemi-  
am instantem commendabant, sed vina etiam bibenda libabant. Testem  
audiamus OVIDIVM, haec sacra ita describentem: z)

*Venerat auctumnus, calcandis fordidus uinis,  
Redduntur merito debita vina Ioui.*

*Dicta dies hinc est Vinalia: Iuppiter illa  
Vindicat, et festis gaudet inesse suis.*

Neque tamen Venus celebritate huius mensis carebat, quippe cui idem hic dies  
ob bina tempula, eius nomini dedicata, erat consecratus, quorum alterum ad Circum-  
Maximum spectabat, alterum in Iuco Libitinensi erat exstructum. Praeterea hoc  
etiam nomine idem dies habebatur solemnis, quod Imperator Augustus non solum  
primum consulatum eo inierat, sed eodem etiam e vita discesserat. Diem vi-  
cesimum quartum Coena Pontificum sacrum et festum esse iubebat. Habebant  
neinpe Romani sacras epulas non unius generis, quas viri religiosi, castimoniae  
et temperantiae laude conspicui, Ioui, Mineruae, ceterisque diis in Capitolio ad-  
parabant, quarum aliae erant augurales, aliae adiiciales, aliae Saliales, aliae Ce-  
reales, aliae Albanae, et aliae Pontificiae: de quibus postremis HORATIVS no-  
fler loquitur, verba faciens de vino

*Pontificum potiore coenis. a)*

Neque alias MARTIALIS innuit, ita canens: b)

*Non Albana mibi sit comedatio tanti,*

*Nec Capitolinae Pontificumque dapes.*

*Vicesimo*

w) Act. I, in Verri, c. 10.

z) Fast. IV, 897.

x) Fast. III, 119.

a) L, II, Od. XIV.

y) Virg. Georg. I, 435.

b) L, XII, Epigr. 48.

*Vicesimo quinto die Ambarualia sacra sequebantur, ubi per agrorum fines lustro quodam hostia maestanda ducebatur, quam multi homines elata voce clamantes comitabantur, qui tripudiantes et querna corona ornati, concinno carmine laudes Cereris celebrabant; quo facto, victima ista circumducta publice immolabatur, Hunc ritum VIRGILIUS his describit; c)*

*Terque nouas circum felix eat hostia fruges,  
Omnis quam chorus et socii comitentur ouantes,  
Et Cererem clamore vocent in tecla, neque ante  
Falcem maturis quisquam supponat arifis,  
Quam Cereri torta redimitus tempora queru  
Det motus incompositos, et carmina dicat.*

Eiusdem diei solemnitatem sacra Opeconsua augebant, à dea eiusdem nominis, quae eadem cum Terra, Saturni uxore, fuisse videtur, ita appellata. Huius deae in honorem sacrarum ea lege erat aedificatum, ut praeter virgines Vestales et Pontificem Maximum nemo illud introiret. In diem *vicesimum septimum* Vulturnalia incidebant, in memoriam Vulturni facienda, qui maritus fuit Iuturnae, et Fauni gener; vel, ut alii perhibent, in honorem fluuii Vulturni instituta, Campaniam interfluentis, quibus procurandis singulares flamines, Vulturnales dicti, erant destinati. Die *vicesimo octavo* Soli ac Lunae sacra publice peragebantur. Quum enim viderent Romani, solem reliquorum siderum esse dominum, lucis omnis auctorem, temporum moderatorem, et frugum procuratorem, ob infinita haec beneficia in deorum numerum referre eundem non dubitabant. Neque minori iure Lunae hunc competere honorem, existimabant. Et soli quidem multa templo exstructa fuisse, ROSINVS idoneis testimoniis confirmat, d) quippe quem, ut poëta ait, e)

*Diuerso cunctis fere nomine conuocat orbis;  
Lunae vero nominatim in monte Auentino sacrificia exhibita fuisse, OVIDIUS  
his verbis testatur; f)*

*Luna regit mensis: huic quoque tempora mensis  
Finit Auentino Luna colenda iugo.*

Succedebant Volcanalia, die *vicesimo nono* celebranda, quae à Vulcano, ignis deo, nomen tulerant. Huic enim iam sub auspicio urbis à Romulo templum fuit extitulum, quod incendia iterata Romae fatalia et funesta esse videbantur. Ad auerruncandum igitur periculum, quod ignis Romanis minitabatur, Vulcanum quotannis hoc die certis sacrificiis expiabant. g) Finiebant tandem mensim Augustum memoriae natalium, C. Caefaris, Germanici, Caii Caligulae, et Commodi Antonini, ea solemnitate restaurandae quotannis et recolendae, qua digni-

Im.

c) Georg. L 345. sqq.

de Nupt. Merc. et Phil. p. 26.

d) Antiqu. Rom L II. c. VIII.

f) Fast. III, 883.

e) Martian. Capella

g) Plutarch. Quæst.

Rom. XLVII.

Imperatores illi iudicabantur, de quibus Dio, Herodotus, Suetonius, Lampridius, Capitolinus, et alii videri possunt, qui de vitiis Imperatorum sunt commentati.

Haec igitur, ut alia multa silentio inuoluamus, praecipua erant sacra, quibus olim mensam Augustum Romani, profano deorum cultui addicti et densissimis superstitionum tenebris immersi, ornabant atque illustrabant, quem eam ob causam poëta h)

*eterno regni signatum nomine mensem*  
scite appellat. Quantum vero dignitatis Romani huic mensi ex nomine summi  
Imperatoris accedere putabant, tanta laetitia ex venerando nomine AVGVSTI,  
Regis nostri Potentissimi, et Electoris Serenissimi, cuius anniversaria memoria  
tras recolenda in fastis indicatur; omnes animi fidelium ciuium perfunduntur.  
Quoniam igitur nemo fere eorum, qui Clementissimi Regis nostri imperio pa-  
rent, exoptatissimum hunc diem fine gaudii sensu et religiosis votis transmittit;  
huius etiam scholae aliquot alumni, litterarum studiis feruientes, pietatis et offi-  
cii partes exequi publice decreuerunt. Et quam in hoc augustinissimo Patriae  
Patre omnia boni principis ornamenta omnique eximias virtutes coire et arctissi-  
mo vinculo confociari viderent; facile erat ac proclive, ab iis argumentum suo-  
rum colloquiorum petere, tanto Principe dignum. Itaque pro suarum virium  
modulo PRAECIPVA BONI PRINCIPIS ORNAMENTA colloquendo com-  
pletentur. Et primo quidem loco

# I. PIETATIS CVLTVM

ut pote ceterarum virtutum fulcrum certissimum et fundamentum firmissimum.

IO. GOTTLÖB WILDELAV, *Jitterboc*, et

SAM. BENEDICT. KRAVSE, *Interloc.*  
*Schoenau*

sermone Hebraico in principe laudabili commendabant, et omnem veram felicitatem ex hoc fonte deriuari, ostendent. Deinde

## *II. IVSTITIAE AMOREM*

*tanquam eximum decus eorum, qui administrandae rei publ. sunt praefecti;*

EPHRAIM GOTTLIEB LOESCHER. Erkendorf et

CHRIST. FRIDR. ERSELIVS. Sarau

dialogo Gallico persequentur, et hoc nomine AVGVSTO nostro merito iure religiosa et pia vota nuncupabunt. Porro

### *III. FIDEM PVBLICAM*

a bono Principe, famae et virtutum imprimis studiose.

FRIDR. GOTTHOLD DEDEKIND

AVG. BENI. OTTO DEDER  
Luzzu

versibus Latinis decantabunt, et huius virtutis expressissimum exemplar in ex-optatissimo nostro Patriae Patre repraesentabunt. Quo facto. IV

h) Auson, Idyll. XX.

## *IV. SAPIENTIAM*

veluti illustrissimum Principis decus, et auspiciatissimum honorifici et prosperi imperii subsidium

IO. IESAIAS KREBEL, *Naumburg.* et  
BENI. TRAVGOTT SCHMIDT, *Freiberg.*

*Italice colloquendo proponent, eas prouincias omnium maxime florere, ostendunt, quarum princeps hoc praesidio munitur. Succendent, qui in*

## *V. CLEMENTIA*

utpote boni principis virtute imprimis commendabili versabuntur praedicanda,

IO. EVSEB. GOTTHARD BIELZ, *Seigerhütt.* et  
SAM. ANDREAS, *Lindau.*

*Gracis verbis elogium illud complexuri, quod nosler imprimis AVGVSTVS gratia, mansuetudine, et beneficentia sibi comparauit. Ultimo loco*

## *VI. PACIS STVDIVM*

quo et animi sui tranquillitati et ciuium suorum fortunis Princeps optime consultus,

CAR. GOTTLIEB KIESLING, *Freib.* et  
GEORG. AVG. ZEISIG, *Freib.*

carmine Teutonico celebrabunt, commonstraturi, Regem nostrum Potentissimum eo maxime AVGVSTI nomen promereri, quod FRIDERICVM, hoc est, pacis studiosissimum, fese praefstat. Huius igitur salutem et felicitatem singuli oratores religiosis precibus immortali Deo commendabunt, quibus haec vota adiungimus;

aVgVftVs, patriae tVtorqVe paterqVe perennet!

fLoreat eX Voto regla CelSa DoMVs!

Non est, quod prolixitatem dicendorum vereantur, qui cras hora ante meridiem nona ad audienda haec colloquia conuenire volunt. Non solam enim paucis multa complectentur, sed etiam intermissi colloquiis suaves fidium concentus auscultandi satietatem facile abstergebunt. Quapropter, refectis ambagibus, Vos, qui AVGVSTVM nostrum pia veneratione prosequimini, ad sacra ei facienda iis verbis compello, quibus Euander Aeneam eiusque socios ad sacra Herculi peragenda inuitabat: i)

NOBISCVM SACRA HAEC, QVANDO HVC VENISTIS, AMICI.  
ANNVA, QVAE DIFFERRE NEFAS, CELEBRATE FAVENTES.

P. P. *Freibergae* in Hermunduris, A. R. S. MDCCLII.

d. II. Aug.

i) *Virgil. Aeneid. VIII. 172.*

Yb 627  
(1/80)







47

SACRA  
MENSIS AVGVSTI  
RECENSET

---

ET  
AD SACRA ANNIVERSARIA  
**A V G V S T O**  
**PATRIAE PATRI**  
FACIENDA  
OBSEQVIOSISSIME INVITAT  
**M. IO. GOTIL. BIDERMANN. R.**

---

FREIBERGÆ, Litteris MATTHÆANIS.

XLVII.